

*ILLVSTRI*  
MAGNIFICO. ET. CONSVLTISSIMO  
V I R O  
IOANNI. BVRCARDO  
MENCKENIO  
ICTO  
GOERNITII. DOMINO  
POLON. REGI. ET. SAXON. ELECT.  
A. CONSILIIS. AVLICIS. ET. HISTORIIS. SCRIBENDIS  
HISTORIAKVM. IN. ACADEMIA. LIPSIENSI. PROFES-  
SORI. PVBL. ORDINARIO. SOC. REG. BRIT. SOCIO  
COLLEGII. MAIORIS. PRINCIPVM. COLLEGIATO  
HOC. TEMPORE. FAC. PHILOS. DECANO  
V I R O  
OB. SINGVLARIA. IN. REMP. LITT. MERITA. PER. OMNEM  
EVROPAM. CELEBERRIMO  
PATRONO. SVO. OPTIMO  
S. P. D.  
*P R A E S E S.*

**Q**uod leuem hunc ingenii  
foetum TIBI consecro,  
**VIR ILLVSTRIS**, no-  
ui nihil facio. Certa-  
tim ad TE confluunt,  
cum Lipsiae, tum aliis in Germaniae  
academiis florentes eruditi, opera sua  
TIBI sacra esse cupientes. Nec eos  
tantum ita se gerere videas, qui ad  
gratias TIBI variis de caussis agen-  
das obstrictos se sentiunt, sed alios  
quoque maioris famae viros, sola  
**NOMINIS TVI** veneratione in-  
ductos. Idem ego similibus ex ra-  
tionibus faciens, haesito tamen, an  
simili successu facturus sim. Elabo-  
rata alii, vel saltem ob materiarum  
praestantiam commendanda, TIBI  
obtu-

obtulere scripta : ego , an aliquid  
TVO NOMINE dignum emise-  
rim, nescio ; Hoc enim, quod offero,  
aut plane nihil est, aut mihi quidem  
ipsi displicet. Offero tamen , magis  
ut officium sequar, quam quod viri-  
bus meis confisus, alicuius momenti  
munus obtulisse me credam. Cole-  
re claros viros, vel aequitas ipsa nos  
iubet. Colui hinc & ego, antequam  
Lipsiam concederem, celebres meri-  
tis suis eruditos , qui mihi innotue-  
rant omnes, interque eos TE maxi-  
me: Neminem quippe habebam cla-  
riorem, quam TE ipsum. Acce-  
dens deinde , neminem TE munifi-  
centiorem inueni. Contigit mihi,  
quod haud scio , an vlli aequa conti-  
gerit,

gerit, non innotescere tantum TIBI,  
sed suscipi quoque & foueri a TE  
benignissime. Gratularer felicitati  
meae, si meruisse, quae hactenus  
edidisti fauoris in me TVI specimina.  
Tot tantisque nominibus Tibi de-  
uinctum, cui potius quam TVO NO-  
MINI plagulas hasce dicare decuis-  
set? Quamuis enim grati laudem a-  
nimi, hoc ipso non meruisse me, pro-  
be intelligam: ingrati nomen certo  
certius consecuturum noueram, si  
alii cuiquam, hoc quidquid est, opel-  
lae consecrare sustinuissent. Eset  
hic, VIR ILLVSTRIS, commo-  
dus laudationi TVAE locus; verum  
consulto abstinentum mihi duco a  
negotio, cui digne exsequendo, vt  
mul-

multorum, sic mei praecipue elo-  
quii facultas impare exsistit. TVO,  
ad virtutes TVAS praedicandas,  
opus est ingenio, TVAque in sti-  
lo elegantia. Laudent TE alii, qui-  
bus accepta a TE beneficia, lecto-  
rum fidem non detrahunt, vel du-  
biā saltem reddunt; quod & ha-  
ctenus factum est saepius, & in po-  
sterum saepissime fiet. Taceo etiam,  
quod fortassis minime deberem, inge-  
nuam prolem TVAM, patriarcharum vir-  
tutum aemulam, quae, quo magis  
mihi hactenus innotuit, eo magis PA-  
RENTEM in filiis venerandi materi-  
am suppeditauit. Voueo tantum, vt  
Numen aeternum conceptam a bonis  
omnibus, de iuuenibus ad maiora na-  
tis,

tis, spem impleat, concedatque, ut TE  
superstite digna indole tanta, virtu-  
tum suarum consequantur praemia  
**Ceterum intelligas velim, PATRO-**  
**NORVM OPTIME, in TE solo re-**  
positam esse spem, qua nutrior, o-  
mnem: **TIBI**que non tantum tuen-  
dum, verum & ornandum esse, cuius  
fortuna a TVO profecta fauore, eo  
cessante mox intermoritura videtur.  
**Quod si feceris, VIR MAGNIFICE,**

Numinis instar eris semper mihi,  
meque fatebor  
**Muneris esse TVI,**  
si poëta verba praeēunte loqui fas est.

Vale.